



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **CHRISTIANUM POPULUM BEATA MARIA VIRGO A SACRATISSIMO ROSARIO**  
CONFIRMATUR PATRONA DIOECESIS RURKELAËNSIS, IN INDIA Ad perpetuam rei memoriam. – Christianum populum, ad beatam et immortalem patriam per terrestria itinera peregrinantem, Superum praesidio ac tutela muniri, id sane est tum rerum naturae consentaneum, tum utilissimum ipsis; quibus profecto cum, pericula omne genus instent aeterna litora petenti, iam gratia, benignitas, intercessio Sanctorum apud Deum, maxime vero Dei Matris Mariae, miras afferre possunt utilitates. Qua re, cum clerus ac populus dioecesis Rurkelaënsis, sua moti pietate erga Deiparam Virginem sub titulo sacratissimi Rosarii, eam Ecclesiae suae Patronam elegerint; ac Venerabilis Frater Alfonsus Bilung, Episcopus Rurkelaënsis, electionem probaverit, quam et a Nobis confirmari petierit; Nos, vehementer confisi fore ut per hoc magis magisque sincera eorum erga Virginem religio augeretur in pectoribus, aequo animo expostulationi admotae concedendum esse censuimus. Qua re, cum electionem, atque approbationem Episcopi ad iuris normam factis esse constet, jis probatis quae Sacra Congregano pro Sacramentis et Cultu Divino, factas a Nobis facultatibus, de re egerit, Beatam Mariam Virginem a Sacratissimo Rosario Patronam dioecesis Rurkelaënsis confirmamus, concessis nempe iuribus atque liturgicis concessionibus iuxta rubricas. Contrariis nihil obstantibus. Quod felix, faustum, fortunatumque sit tum Praesuli tum eius gregi. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Septembris, anno MDCCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero, in Nativitate beatae Mariae Virginis.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana

---